Aurelii
Thomasii
ad Lucium
Valerium Marinum
Epistola

THE UNIVERSITY OF
CHICAGO LIBRARY

TO . . . .

ATTN:

FROM . . . .

DATE:

Remarks:

Please cancel earlier routing before using other half of slip.

UCL 403-50

Aurelius Thomasius

AURELII THOMASII

AD

LUCIUM VALERIUM MARINIUM,

DE SCIPIONIS DERICCII POENITENTIA,

EPISTOLA.

LUCIO VALERIO MARINIO

AURELIUS THOMASIUS.

S. D.

VEHEMENTER doles et incusas, amicorum optime, tandiu me a scribendo latinas literas abstinuisse. Undenam vero objurgationes hæ tuæ et querimoniæ? Te quidem non latet me tribus abhinc annis adversâ laborare valetudine, et acrius, si ita loqui fas, ipso latinè scribendi desiderio; hæc enim mihi semper summa voluptas, et vel adolescenti consuetudo fuit. Igitur quod tecum hactenus siluerim, invito id et ægerrime factum abnuere non debes. Et licet nonnulla hoc temporis nativo sermone conscripserim, non ea tamen tanto parta labore, ut quæ olim romanâ linguâ, Liviique, Tacitive stilo perficere adnitebar. Modo vero cum jam convalescere incipiam, tuæ sine morâ obtemperandum voluntati existimavi. In quo prorsus, opinor, diligentiam amabis meam; et si quid minus concinne protulerim, facile benignus ignosces.

2. Scripturus igitur pari libertatis ac veritatis studio, politica sileam. Urgent quâcumque graviora, quæ ecclesiasticum tamen virum magis intersunt, quæque silentio me tam bene conscium

præteriisse nefas. Scilicet bellum jamdiu divinam adversus veritatem ipso in ecclesiæ sinu instauratum crudescit in dies; plurimi hostes; non pauci cuncta simul nullo discrimine habent, exiguus qui veritatem tueantur numerus; desciscuntque non raro inter eos qui strenuissimi audiebant. Jamque probe intelligis me de Scipione Dericcio olim Pistoriensium ac Pratensium episcopo locuturum. Dolens dicam : defecit ille; et quamvis miserentur ad præsens amici, nescierim miseratione an objurgatione digniorem posteritas judicaverit. Tu forte obstupescis adhuc et angeris : quasi tanti nominis vir subito, et inopinate corruerit. At mihi antiquior de illius imbecillitate dolor, ut quæ recens fama tulit nihil prorsus mirarer. Quare placet rem integram suis ab initiis expedire; ita fortassis tua non inanibus verbis tempora morabor, nec omnino negligenda hominum memoriæ suppetet historia.

3. Postquam depressis per Italiam Gallorum rebus, Germani simul et Mosci ad Veronam, mox Placentiam, tandem Novas adeo secundo Marte præliarentur, ut una victis Liguria superesset, convulsa tumultu Aretinorum Etruria. Instigarat seditiosos recens libertatis odium; utque latius ulciscendi in populares caussa suppeditaret, Pistoriensis synodus incusabatur, perinde ac si ex illius doctrinâ instaurandæ reipublicæ consilia manassent. Fovit calumniam perditorum sacerdotum superstitio ac ira. Ubi autem discursum ad arma, et Florentiam ipsam irrupit furentium manus, Scipio ille qui sibi consulere fugâ detrectaverat, tanquam nullæ ex inimicis subessent insidiæ, aut ipse fortior pericu-

lo, Scipio, inquam ; Dericcius stipatus lictoribus per urbem trahitur, et in carcerem scelestos inter, ad contumeliam, detruditur.

4. Horruit vincula et probra vir nobilis ; mox subiit suspicio se de novis in Etruscum ducem rebus postulatum ; et anxius culpam diluere orabat ; pauloque post e carcere urbanam in arcem transvehitur. Sumtus erat in conscientiâ injuriæ Martinius Florentinorum archiepiscopus, olim doctrinâ clarus, sed quem ambitio necnon et vetus de Florentino sub Leopoldo episcoporum conventu in Dericcium offensio stimulabat. Igitur is captivum adit, et contractâ fronte, elatoque supercilio, illum non aliis de caussis attentum dicit, nisi quod Romano Pontifici contumacem populus juxta ac clerus haberent, et furerent jam puniendi libidine : Quousque tandem ecclesiæ perversum adeo exemplum ipse se offerret ? Expectatam diu pœnitentiam ; sed cunctandi finem adesse ; se reum profiteretur aliquando, et veniam efflagitaret. Pluraque minarum adjecit augendæ formidini, et abiit.

5. Consilii amicorumve inopem Scipionem pavor, et angor vexabant. Non erat certe cur de obtrectationibus, et invidiâ populi excruciaretur ; satis hæc doctis orationibus refutata ; et inane argumentari dixerim, cum Pistoriensis doctrinæ sanctitas ad perspicuitatem patesceret. Quare sapientius ille, si, contemptâ malignitate, catholicum se fuisse semper, et fore paucis declarasset. At placuit purgationem criminis facere ; quippe delinienda magis quam toleranda inimicorum ira videbatur. Hæc jam deficientis

animi indicia. Igitur, datâ ad Martinium epistolâ, eam Romano Pontifici quam canones jubent (nec Dericcius unquam denegarat) obedientiam diligentissime testabatur. Rediit tamen iratior archiepiscopus, et, suetâ pœdagogis asperitate, Dericcium objurgat, increpatque ut procacem adolescentulum, imo ut hæreticum qui de pravâ sententiâ nullo modo detrudi possit.

6. Mutata iterum, atque iterum jussæ expositionis formula. Dericcius anceps inter veritatem juxta ac illius hostes lædendi metum; donec tot contumeliis afflictus ac propemodum fractus, opem recusante per speciem inscitiæ, et quod de sacris negotiis ageretur, Florentino senatu, ipso autem Martinio dictante, scriberet Dericcius, *se ecclesiasticis regulis inhærendo, decretum, cui titulus : Auctorem fidei, suscipere.* Et quidem, Dericcii judicio, is dictioni inerat sensus, ut ille Pontificias literas adprobaret, si ecclesiasticis id regulis permissum. At quis sanæ mentis eo interpretaretur intellectu? Non ita prorsus Martinius, qui modestiam Scipionis simul et obedientiam summis efferens laudibus, voti se compotem magnifice jactabat, jusseratque illum Romano Pontifici eâ formulâ literas inscribere, et mox conscriptas amicos inter vulgaverat.

7. Fuere tamen qui ambiguam formulam suspicarentur, ipsumque archiepiscopum Dericcii partibus faventem differrent; perculitque facile obnoxium obtrectatio. Quare, ubi Germanorum jussu, e custodiâ eductus suam in domum se reciperet Scipio, arcessitur a Martinio, jubeturque ad sacræ missionis presbyteros, quos vulgus

barbatos appellat, sine morâ secedere; ita enim (ut audacissime simulabatur) senatusconsulto imperatum. At rejecere *barbati*; coactusque, mox ad Divi Marci dominicianos se contulit. Interim literæ ne ad Romanum Pontificem mitterentur, machinationibus dolisque quam plurimis adlaboratum est. Martinii vero frequens ad Scipionem ingressus, modo in iram, modo in miserationem compositi; jubebat, adhortabatur iterum ad Pium Sextum scriberet, intercidisse enim dictitabat literas, nec, vel si redditæ fuissent, diluendis criminibus satis omnium consensu accommodatas: non eo secius enixis se quidem licet vacuis apud senatum libertatem illius postulasse. Senatus contra nihil sibi curæ id genus negotii esse respondit: audita tantum per nuncias literas Dericcii vincula: rem totam Florentini archiepiscopi consilio et auctoritate pendere. Tanta erat ex composito utrimque simulandi insæviendique libido.

8. Sed captivi in dies valetudo ingravescebat, assidente nullo qui opem ferret aut colloquio solaretur; tandem medicorum consilia interfuere, ne omnino deficeret; suamque pene liberatus secessit in villam. Ibi, ut nonnihil convaluit, nova Martinii jussa capessens ad Pontificem recens creatum Pium Septimum literas dedit quibus defensionem agebat sui, modeste quidem, sed timidius, nec uti episcopum pro conscientiâ, et dignitate decebat. Non enim pontificium in Pistoriensem synodum decretum rejicere ausus, sed nonnullos errores eo decreto proscriptos, et se proscribere declaravit; quos certe haud synodi mens tolerabat, nec ipsa verba innuebant. Sci-

licet ea infandi decreti natura, ut postquam aliquot sententias per summam injuriam, et absolute damnasset, plurimas ad pravum nec naturalem sensum detorqueret. Tantæ malevolentiæ exemplum ecquis neget hactenus inauditum? Quod si ad rectam ecclesiasticarum rerum intelligentiam factitaretur, nec Patres, nec Concilia, nec Sacra ipsa Scriptura, erroris notam effugient. Jam vero quid argueret Dericcius apertius non adnotaverat, et cetera illius decreti pari facilitate prætermisit. Sed hæc minuendæ invidiæ ratio ex voto non cessit; nec mirum: Romanæ quippe curiæ si per deforme obsequium blandiare, superbam ac minacem; si vero pro magnanimitate obsistas, temperantem licet non subactam experiere. Elapsis sex mensibus Consalvius cardinalis, datis ad Dericcium literis, respondit, ad extrema remedia fore ut Pius Septimus progrederetur: (et satis clare anathemata significabantur): ni pontificium, de quo jam retuli, decretum in universum, et ex animo susciperet. Repetita tunc Florentiæ de politicis negotiis in Scipionem criminatio; rumorque invasit Martinium clam apud senatum agitasse ut Dericcius Romam deduceretur.

9. Sed tot fraudes et dolos abrupit inopina ad Marenchum victoria; siluitque simulatione patientiæ Romana curia, Gallis XVII calendas novembres anno millesimo octingentesimo Florentiam occupantibus. Rediit Dericcio tantisper animus, restitutâ libertate; oh utinam vel tuendæ veritatis constantia, et vigor! at obtrectationes, et exhausta pericula non adeo sapientem, nec satis propositi tenacem ita turbaverant, ut placandas sibi aliquando curialium iras duceret, et

secum mente volutaret. Suberat etiam magni ducis, dehinc reginæ quæsitus favor; nec parum angebant solitariæ vitæ fastidium, nimiusque exprobrantium parentum amor. Quæ cuncta quidem omnino contemnere oportebat, summoque honori convicia habere non secus ac vincula. Pro fide enim, ut Polycarpum docebat Ignatius, stare sicut incus quæ percutitur, magnique instar athletæ cædi simul ac vincere fortium semper episcoporum fuit. Sed ærumnarum insolens Dericcius secreto per literas consulere de ineundâ cum curialibus pace. Adfuere in consilio Palmierius, insignis apud Pistoriensem synodum theologus, simul ac Fontana, vir græcis latinisque literis eruditus : uterque Dericcio amicitiâ conjunctissimi. Disputatum diu, sed quos inter, quæve tractationis ratio fuerit, nec inquirere neque conjecturâ assequi lubet : alii viderint. Hoc unum retulerim, Etruscorum reginam eo in negotio implicatam, sive Dericcii precibus, sive ultro regiâque auctoritate id illa ceperit.

10. Tandem Lutetiâ Parisiorum Romam rediturus Pius Septimus Florentiam adventaverat; decernebantque curiales Dericcii jam iterum perituram constantiam penitus expugnare. Et fandi copiam summo coram Pontifice Dericcius postulavit. Imprudens ille eâ adhuc erat in spe ut Romanis doctrinæ veritatem suæ oratione persuadere, et in amicitiam recipi posset. Abnuit tamen Pontifex misso Fenajâ qui Romanorum Pontificum contra Baïum, Jansenium, Quesnellium, et Pistoriensem synodum decreta exhiberet, datâque formulâ, uti ab Dericcio sub-

scriberentur, curaret. Erat is Philippensium archiepiscopus; scilicet inter eos, quibus vetustissimas sedes, jamdiu Turcarum imperio deletas, Romana curia inscribit, non quasi illas vel semel invisuris, sed ut episcopali ordine, per speciem episcopatus præfulgeant: adeo gliscit ambitio simul ac verendi gradus contemptio. Jam vero, auditis Fenajæ conditionibus, pavit Dericcius, et quantulâcumque pollebat virtute detrectare. Ex colloquio suscepta disputatio, magno hinc, inde, animi æstu; sed quo longior et acrior, eo certius erat Dericcii damno cessura. Norat enim; jamque sentiebat Fenajas non adeo Scipionem forti animo esse ut ingruente metu reginæ, et ardentiore in dies cupidine pacis, per vim disputationis vinci nescius haberetur. Ad duas ferme horas altercatio processerat; quum Fenajas humanitatem simulans: recedam, inquit, quò rem consultius perpendas; non enim imperio te pertrahere vel astu fallere consilium mihi fuit.

11. Digresso Fenajâ, Fontana et Palmierius, qui propinquo inambulabant cubiculo, accessere; iisque Dericcius disputata narrat; traditque formulam, et quid sibi opus foret decernendum illis relinquit; anxius et dolens semet tantæ rei imparem esse ex eâ quâ jactabatur animi perturbatione. Cavete tamen, addidit, ne veritas per me unquam lædatur. Quæ tunc ab amicis monenda fuerint, non est cur aperiam; tute ipse vides qui sanctissima amicitiæ munia nedum apprime nosti, sed curâ studiosiore et colis semper ac imples. Tu, inquam, Marini optime, quem, sive adriserit sive adversaretur nobis

fortuna, æque fidelem habui suasorem veritatis. At Palmierius et Fontana subscribendam formulam judicarunt, eâ tamen ratione, ut errores per pontificalia illa decreta damnatos et damnasse se Dericcius profiteretur. His atque talibus verbis, errores, si qui forte essent, rejici, non decreta in universum recipi intelligebant. O ridiculam prorsus casuistarum sententiam! Illane apud Pistoriensem synodum, Florentiumve conventum loquendi forma? Quis tunc in ambigua verba horror, quæve ad fidei integritatem perspicuæ orationis diligentia! Ceterum, si per ambages modo locuti sunt, quomodo mendacii crimen effugerint? At satis perspicuam formulam ipsemet qui tradiderat Fenajas habebat, nec quidem immerito; cumque id negotii, Palmierius et Fontana animadverterent, Pistoriensis synodi doctrinam per modestam orationem, diverso tamen libello conscriptam defendere censuerunt. Ita hinc damnationis, inde defensionis caussa suppetebat; utrique, cœcus amicorum fiduciâ Dericcius subscripsit.

12. Nec mora, accitur Fenajas; rem perfectam dicunt, formulamque exhibent: altum de scriptione alterâ silentium. Mox Dericcius, et Fenajas unà digrediuntur, ut Pontifici se sisterent: lætus hic et velut ovans; ille vero incertus ac trepidus quasi pœnitentem ageret. Sed, ostensâ formulâ, complexus et oscula lacrymabundi ad gaudium Pii Septimi redintegrarunt paulisper animi securitatem. Exinde venerari se patefecit Romanorum Pontificum decreta, nec unquam vel in ipsâ Pistoriensi synodo contra fas tanti obsequii consilium sibi aut mentem aliquid au-

dendi; simulque tradit quæ ad purgationem criminum, amicis auctoribus, subscripserat. Legit relegitque summus Pontifex, et vultu placido, non ego, dixisse fertur, id inquiro quod tibi mihique juxta supervacaneum. Tuam enim fidem in dubiis nunquam habui; si opus fuerit, te apostolicæ sedi addictum semper fuisse universo christianorum orbi prædicabo; statimque reddidit chartam, quam profecto non accepisset Dericcius, si, quibus Romanorum Pontificum bona sæpius consilia fallantur, artes calluerit. Sed insperata responsio ignarum firmaverat, eoque lætitiâ perfudit ut sibi cum amicis quasi victor plauserit: stulte quidem nec nisi ad graviorem ignominiam. Nam formula illius nomine data apud Pontificem servabatur; citaque per Italiam, Gallias, Germaniam, nec non Batavorum provincias Scipionis pœnitentiam fama attulerat. Inimici protinus credidere, vulgabantque audaciores, nec deerant ex his qui adversus Romanum Pontificem quererentur quod hæreticum, licet resipiscentem, nullâ tamen impositâ pœnâ, nec absolutum sibi reconciliasset. Tandem prodiit, quam Pius Septimus VI. Kalendas julias ad Cardinales habuerat, oratio.

13. Pauca ibi licet verbose de itinere suo, quorum animadversione digniora, toties repressa, ac impudentius jactata in Gallorum episcopos sub initia reipublicæ præfectos jurgia et convicia fuisse crediderim. Plura de Scipione, et curiosius composita. Nimirum historia pœnitentiæ conflatur; cumque catholicæ ecclesiæ reconciliandum ante omnia jactasset Pius Septimus, postea narrat mediis in erroribus apos-

tolicæ sedi fuisse animo semper addictum. Quæ invicem pugnantia nescio quis curialium consociaverit? Si enim jugiter ecclesiæ spiritu adhæsit Dericcius, quorsum ad unitatem revocandus, cur recipiendus? Externum quidem ecclesiæ vinculum haud illi defuit; numquam enim anathemate perculsus. Fide vero, et caritate, ut Pius Septimus haud diffitetur, servatis, nec interius concidit.

14. Porrò id utcumque accipias haud magni interfuerit. Gravius indoleo, Dericcii ignaviâ divinam veritatem, densiore velut umbrâ, obvolutam. Sane ignari, et, quibus non iniqua mens, præclarum episcopi studium in tuendâ religionis severitate antea demirati, in illius fidem nescio quo incitamento alliciebantur. Modo vero illius defectione stupent, et cui se credant nesciunt. Memoremne amicos, non jam sapientes ac fortes, quos dolor gravi vulnere adficit, sed qui pavide ac secreto Pistoriensi doctrinæ nuper adstipulabantur? Hos certe superabit metus, ut adversis partibus studeant. Nec triste minus, et lacrymabile, hæreticos, et quos vetus schisma dissociat, eo casu ab ecclesiâ longius arceri. Etenim postquam, spretâ vulgi superstitione, refutatis peripateticorum theologorum commentis, pura catholicæ ecclesiæ doctrina vindicaretur, hinc revocandæ ex antiquitate disciplinæ studium inolesceret, quin ecclesiastici ministerii forma dominationis seu licentiæ vitio laborasset, spes non modica affulserat, hæreticos juxta et schismaticos, iris deflagratis, ad fidem, et unitatem aliquando reversuros. Jamque eorum nonnulli mitescere, jam pœnitere dissidii, parum

aberat quin liberius veritatem auderent profiteri. Hæc fervida inter nos bonorum vota, hi doctiorum labores, hi Pistoriensis synodi conatus. At nunc Dericcii pœnitentiâ, rursus hæretici, nec constare sibi, nec æquo animo esse catholicos incusant, et insolentius superbiunt.

15. Tanti mali potior apud Romanam curiam culpa. Quippe cujus male parto imperio pluræque hæreses et schismata aut prodierint, aut inoleverint, et vel catholicos inter tot jurgia misceantur, et lites. Eo haud aliter collapsa disciplina, Sacræ Scripturæ ignoratio, Patrum contemptus, sanctæ pœnitentiæ vix nomen ac nullus rigor, episcopatus abjectio, necnon apud episcopos ac sacerdotes rara vitæ integritas, rarior scientia, inter laicos vero fœda superstitio, aut solutior licentia. Nempe cuncta isthæc aut fovet, aut tolerat Romana curia, nonnisi ut ditescat, et imperet solicita, atque eos vexando, quos tot tædet malorum, et instaurandæ ut memoravi, religionis cupido incendit : quosque despectissimos, id temporis vulgus habet, morum tamen fideique sanctitate, nec non ingenio, sapientiâque excellentes olim fortassis celebrabuntur. Loquar fidentius : decipitur vehementer Romana curia, si dominationis occasum suæ brevi futurum haud præsentiat. Nam quantum est religionis in præsens, si pauca excipias, aut superstitiosum dixeris, aut superstitiose usurpatum. Contra impietas augescit in dies ; ab hæreticis profecta catholicos ipsos velut pestis late corrupit. Religio quidem apud impios ignoratur, sed et apud plerosque qui illam profitentur. Non enim nisi quædam jura Romani Pontificis et his similia, ultra fas

citraque veritatem conficta, callentes inveneris. Undenam ergo remedium? Quis edocebit, quisve edocebitur?

16. Sed et superstitio exolescet, quod satis agnita, sensim facilius contemnitur; nec ex sacrorum ministrorum orta recens paupertate habet unde vigeat. Tandem vel sincera pietas deficit adeo ut universam Europam paucos intra annos religione pene omni cariturum per lætitiam scelesti ominentur, boni vero summo cum dolore pertimescant. Evangelica quidem de fidei perpetuitate promissa haud in irritum cessura eventus usque probavit, suadetque fides. At nec traditio, nec Scriptura huc potius quam illuc mansuram ecclesiam pollicentur. Quid ergo? Oh utinam tantus timor Romanam ipsam curiam percelleret ut reparandæ calamitati iret subventum! Non ea miseriarum moles ut subsidiis impares simus. Sciat tamen curia illa oportet, ad honesta et meliora revocari nos nullâ ratione posse, nisi sublatâ Romani Pontificis dominatione, nec non restitutâ, quantum iniquitas temporum sinit, antiquâ ecclesiæ disciplinâ. Id unum omnino fidei columen et præsidium: ea duntaxat corruptissimis moribus medicina; neque ambigendum videtur quin tanto munere saltem posteri fruantur; quæque hactenus disseruimus, non impia ut nunc, sed sancta et justa existimentur. Finis tamen sit. Nos haud Dericcio irascimur, magis vero Divinæ Providentiæ decreta venerabundi suspicimus. Et unicuique nostrum satis timendum, ubi haud impar ingruerit periculum: timendum inquam, sed magnâ cum

spe, Deum usque adfuturum ut, si vel sæviora premant, vitâ carior ac diuturnior sit apud nos defensio veritatis. Vale.

Data Viennæ in Austriâ, pridie idus Septemb. An MDCCCV.